



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

38. Christus in iisdem nuptiis primum patravit miraculum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

autem & Iesus, & discipuli ejus, ad nuptias.
Ioan. 2. v. 1. & 2.

I. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. *Ioan. 2. v. 3. & 4.*

III. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. *Ioan. 2. v. 5.*

MEDITATIO XXXVIII.

Christus in iisdem nuptiis primum patrauit miraculum.

I. ERant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ merretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. *Ioan. 2. v. 6. 7. 8.*

II. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat, unde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. *Ioan. 2. v. 9. 10.*

III. Hoc fecit initium signorum Iesus in

Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus. *Ioan. 2. v. 11. & 12.*

MEDITATIO XXXIX.

*Desugatis è templo negotiatoribus
primâ vice.*

I. **P**ropè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: & invenit in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves. *Ioan. 2. v. 13, 14, 15.*

II. Et nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit *Ioan. 2. v. 13.*

III. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli ejus, quia scriptum est: *Psal. 68. Vers. 10. Zelus domus tuæ comedit me. Ioan. 2. v. 16. & 17.*